

Cum hac occasione evolverem Scaligerum , & quidem locum à Beckio citatum , in eo Exemplari, quod ego possideo, sequentia ad marginem, à docta quadam manu adscripta, inveni :

Dodecaeteris civilis incipit à Plenilunio mensis Adar, Genethliaca verò ab Æquinectio verno, Indi Calicuthani maxima panegyri redorsifunt Dodecaeterida suam anno Christi 1600. die 18. Februar. stylo vetere, qui dies fuit 13. mensis Adar, sive Sahaben Mahometici, quartus decimus verò Sahaben Indici: quem diem secutum est plenilunium.

Confirmatur ex hoc ratio mea comparandi annos Cycli Tartarici cum Christianis. Respondet enim annus Christi 1600. Anno 37 Cycli Sinici, sive i. Cycli Tartarici. Magis etiam elucet id quod supra ostendi, scilicet annos Arabicos non ubique in diebus convenire, sed differentiam unius diei, vel semper vel aliquando, inter diversas rationes supputandi annos Arabicos, intercedere. Ceterum, etsi *Calicuthani* annum circa tempus Plenilunii inceperunt, non sequitur, etiam Tartaros eodem tempore initium anni numerasse; cum ex antecedentibus sit maxime probabile, Tartaros hac in re cum Sinensibus convenire, qui annum inchoant tempore Novilunii, quod proxime abest ab eo tempore quo Sol medium Aquarii occupat.

Descriptio Auroræ Borealis notabilis, quæ observata est Berolini Anno 1729. Die 16. Nov. vesperi, & per totam noctem.

INitium hujus Auroræ Borealis à quibusdam animadversum est Die 16. Nov. vesperi Hora 6. Ego vero eam versus horam 7. primo notavi. Hora 7. me contuli in locum liberum, in quo præsertim tota plaga septentrionalis ab ortu usque ad occidentem conspectui patebat, & apprehendi lumen aliquod albidum, flavescens, expansum ab ortu æstivo usque in occasum, cujus altitudo usque ad Stellam Polarem & paulò altius pertigit.